Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dignum uirum ordinari pontificem.
Nouerat enim eius certiorem omni pon-
dere uoluntatem, et doceri regule de-
creta subtiliora. Arbitratus etiam di-
uinum in eo esse decretum, dum in eius elec-
tione etiam pars contraria consonaret.
Is ergo sacri baptismatis dono potitus,
gratiam quoque simul suscepit episcopatus.
Quo facto, hunc ymnum optimus im-
perator saluatori et domino obtulisse re-
fertur. His quippe que gerebantur,
interat. Gratias inquit ago tibi domine omnipotens
et saluator noster, quod huic uiro ego quidem
commisi corpora, tu autem animas, et meam
electionem ostendisti iusticie conueni-
re. Cumque post paucos dies sanctus am-
brosius cum multa fiducia apud
imperatorem quereretur quia male a iu-
dicibus agebatur, tunc imperator ait:
Hanc inquit confidentiam tuam dudum
noui. Et apte probans non solum restiti,
sed etiam in electione ordinationis tue
socius fui. Festina itaque sanare, sicut
diuina lege precipitur, animarum de-
licta nostrarum. Hec ergo imperator mediola-
ni, et dixit et fecit. Cognoscens autem quosdam
in asya et frigia de diuinis dubita-
re dogmatibus, in illirico quidem precepit
synodum celebrari, et que de illis de-
creta atque firmata sunt dubitantibus
destinauit. Porro qui illic conuenerant,
decreuerunt fidem expositam in nicea ur-
be seruandam. Scripsit autem et ipse so-
cium adhibens in suis litteris fratrem,
quatinus in his que placuerant dura-
retur. Nunc ergo et legem ipsam ponere neces-
sarium est, que apte et eius pietatem predicat,
et ualentis tunc sinceritatem sine
dubitatione demonstrat. VIIII.

Imperatores maximi, pii, uictores,
augusti, Ualentinianus, Ualens, Gra-
tianus, episcopis dioceseos asie, frigie, co-
losfrigie, pacatiane, in domino salutem. Tan-
to concilio in illirico celebrato, et sub-
tiliter habita questione de salutari
uerbo, ostenderunt ter beati pontifices
trinitatem consubstantialem patris et filii et spiritus
sancti, quam nequaquam declinantes iusta
religionis ministeria magni regis ex-
ercent. Hanc ergo predicari uoluit nostra
potentia, ita tamen ut non dicant aliqui:
sequimur religionem imperatoris hanc pa-
triam gubernantis, et non illi potius obedien-
tes qui nobis salutis mandata tradiderunt.
Euangelium namque Christi nostri sic habet: Reddite
que sunt cesaris cesari, et que sunt dei deo.
Quid ergo dicitis uos episcopi et presules salu-
taris uerbi? Si ita se habet, uestra probatio
diligentes alterutrum imperiali abuti
dignitate. Quiescite et nolite persequi
eos qui deo perfecte ministrant, quorum
orationibus et terrena bella sedantur, et
recedentium a deo angelorum repelluntur
incursus, quique omnes demones cor-
ruptores precum assiduitate confundunt,
tributa secundum leges inferre non respuunt,
potestatique regie non resistunt, sed since-
ra uoluntate et superni regis manda-
ta custodiunt, et nostris legibus subiu-
gantur. Uos autem inobedientes esse
monstramini. Et nos quidem subicimur
ei qui primus est et nouissimus, uos autem
uobmetipsis arrogatis. Nos itaque pu-
ros nos ipsos ab his esse desideramus, et sicut
pylatus in examinatione Christi nostri, cum
nollet eum punire, conuersus ad orientis
partes, et petens aquam lauit manus
suas dicens: innocens ego sum a sanguine